

THESIS VII.
(q. LXXXVI. a. 2.)

Poenitentia virtus, quae est detestatio peccati, necessaria est necessitate medii pro remissione peccati actualis. Ita autem necessaria est poenitentia, ut si actus perfectae caritatis existat, et peccati praeteriti memoria non occurrat, actus caritatis ad iustificationem sufficiat, sed quatenus est etiam poenitentia virtualis seu votum continet poenitentiae. Porro nedum necessitate medii, sed et praecepti necessaria est poenitentia, eademque formalis.

I. Docuerat s. Thomas in 1^o art. q. citatae poenitentiam esse sufficientem ad delenda omnia peccata; nunc docet poenitentiam esse necessariam. Loquitur autem proprie de poenitentia virtute.

Quaestio fieri potest et de necessitate medii, et de necessitate praecepti. Utriusque necessitatis conceptum declarabimus Th. X. Nunc satis sit advertere illud dici necessarium necessitate tantum praecepti, cuius omissio, si inculpabilis sit (ut idcirco nulla lex praescribens honestatem morum violetur), non noceat: necessarium vero necessitate medii illud, cuius omissio, etsi inculpabilis sit, noceat, quod proprie habet locum in mediis necessariis pro aliquo fine. Porro cum quaeritur utrum sine poenitentia possit remitti peccatum, quaestio esse potest tum de potentia Dei absoluta, tum de potentia Dei ordinata. In priori hypothese responsio affirmativa admitti potest (quamvis Lugus D. VII. Sect. 12. neget Deum dispensare posse ab hac lege naturali satisfaciendi Deo offenso per poenitentiam salutem virtualem); quia nulla videtur repugnantia, quod Deus ex sua liberalitate condonet peccatum absque ullo actu praecedente peccatoris, infundendo gratiam sanctificantem, nullumque actum deinceps ab eo exigendo. Neque quaestio s. Thomae est de potentia Dei absoluta, ut advertit heic Caietanus. Igitur quaestio est utrum possit Deus de potentia ordinata remittere peccatum sine poenitentia. Scilicet utrum in hoc providentiae ordine, quo novimus creaturas rationales a Deo regi, id sit possibile. Cf. De Deo Creante Th. XXXVIII.

Iam vero poenitentia virtus potest, ut vidimus, multiplex distingui, tum virtus scilicet specialis, tum generalis. Potest quippe poenitentia, quae est detestatio peccati, esse ex motivo caritatis vel ex alio motivo minus perfecto, puta timore gehennae. Nunc praescindimus ab his omnibus differentiis et spectamus simpliciter detestationem peccati a quacumque virtute et a quovis legitimo motivo eli-

ciatur. Quoniam poenitentia, ut videbimus, tum in re tum in voto haberi potest diciturque poenitentia formalis aut virtualis, nunc generice de ea loquimur alterutram speciem intelligentes.

II. Dicimus ergo 1^o poenitentiam seu detestationem peccati necessariam esse peccatori necessitate medii ad salutem. Etenim necessaria est necessitate medii ad salutem remissio peccati: ad remissionem autem peccati necessitate eadem necessaria est detestatio peccati seu poenitentia: ergo. Maior patet, minor probatur. Sane hic est nexus inter praecedentem poenitentiam et sequentem remissionem peccati ut si illa desit, etsi inculpabiliter desit, remissio non sequatur: non enim peccatori non se disponenti ad obtinendam veniam reconciliatur Deus: quis enim putet eum qui peccavit, distulit tamen poenitere eo quod statim poenitere non teneretur, si morte repentina intercipiatur, consequi remissionem peccati, eo quod non peccaverit contra praeceptum poenitentiae? Etsi quoad hoc non peccaverit, quoniam tamen poenitentia defuit, nec remissionem consequitur peccati, sed peccato manente damnatur. Ergo poenitentia se habet ut medium prorsus necessarium pro remissione consequenda peccati, eiusque defectus sive culpabilis sive inculpabilis impedit ne remissio sequatur: igitur necessaria est poenitentia necessitate medii. Quia vero lege morali obligamur ad adhibenda media necessaria fini, est proinde etiam necessaria necessitate praecepti, qua de re in IV. p. Hic est proinde adaequatus sensus verborum Domini in Scripturis, Ezechielis XVIII. 21. seqq. ubi haec ponitur conditio remissionis sive oblivionis divinae peccatorum: si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis (21. 22); secus erit illis in ruinam iniquitas et morientur (30. 31). Zach. 1. 3. Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Cuiusmodi autem conversio postuletur docet Ioel II, 12. Convertimini ad me in toto corde vestro et scindite corda vestra, quibus verbis dolor et detestatio peccati designatur. Quare Ieremj. XVIII, 8 dicit Dominus: si poenitentiam egerit gens illa a malo suo... agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei. Christus autem Luc. XIII, 5. Si poenitentiam non egeritis, omnes simul peribitis. Constat nempe quod in praesenti providentiae ordine nexus necessarius existit inter remissionem peccati et poenitentiam, ut Deus nolit peccatum remittere et sic salutem conferre nisi poenitenti.

Dices verba Christi Luc. XVIII similia esse his: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*; et tamen Theologi communiter negant Eucharistiam necessariam esse necessitate medii ad salutem.

Respondeo a) in his verbis sumptionem Eucharistiae non coniungi

tamquam medium cum salute obtinenda, sed cum iugi conservatione vitae spiritualis, quae *iugis conservatio* non est per se necessaria necessitate medii ad salutem. *b)* Cum vita spiritualis obtenta est, ea non nisi per peccatum amitti potest h. e. per voluntariam abiectioem eius: si quod ergo medium existit ad eam conservandam, illud nequit esse tale ut, etiam inculpabiliter eo omisso, privetur homo vita: atqui hic est character proprius necessarii necessitate medii: ergo. Restat igitur *c)* quod non nisi quaedam necessitas moralis huius medii h. e. cibi ad conservationem vitae divinumque praeceptum edendi illum cibum per ea verba Christi significetur, si sermo sit de reali manducatione.

At in verbis Christi allatis poenitentia iungitur tamquam medium cum ipsa remissione peccati, quae necessaria est pro salute aeterna assequenda; et remissio peccati huiusmodi est ut 1) si ipsa desit, eo ipso homo, peccato manente, damnetur: nam non peccatores sed iusti salvantur: 2) ipsa ex se postulet in peccatore aliquam dispositionem; non enim peccatum remittitur eo tantum quod peccatum existit, aut quia quis actu cessat a peccato. Nulla ergo est paritas inter ea testimonia.

Ratio quoque suadet poenitentiam esse medium necessarium pro abolitione peccati. Nam peccatum non est tantum quaedam pravitas contra ordinem rationis: si id tantum esset, profecto tolli posset peccatum per actus habitusque contrarios, quibus sufficienter malus actus retractatur eiusque pravitas in homine existens deletur; idque sufficere visum est philosophis gentilibus, qui peccata sub ea tantum ratione spectabant. At peccatum est simul offensa et iniuria hominis in Deum; ad quam abolendam duo requiruntur, alterum ex parte Dei, h. e. remissio, alterum ex parte hominis h. e. aliqua exhibitio emendae, quae poenitentia est. Id enim ius naturae docet ut servus, qui dominum offendit, veniam exoret detestando offensam; ut si hoc desit, quacumque ratione desit, merito negetur condonatio.

Patet ex se quod poenitentia aliqua sive formalis sive virtualis necessaria est *in re*, neque enim est aliud, in quo tamquam in voto conversio hominis ad Deum contineri possit, conversio vero ad Deum est poenitentia vel formalis, vel virtualis.

III. Quaestio est autem utrum *poenitentia formalis*, h. e. explicita detestatio peccati, sit semper necessaria necessitate medii ad salutem, sive ad remissionem consequendam peccatorum: an satis sit, saltem identidem, *poenitentia virtualis*, h. e. actus ille, qui licet tantum virtute contineat detestationem peccati, sit tamen propter perfectionem suam par impetrandae reconciliationi, cuiusmodi creditur esse actus perfectae caritatis. Quaestio haec proprie agitur in hypothesi iustificationis obtentae citra Sacramentum, et movetur de

actu caritatis; quaeritur nempe an ipse solus, sine explicita detestatione peccatorum, sufficiens sit ad iustificationem obtinendam. Qua in re non una est Theologorum sententia: quidam enim exigunt caritatem cum formali detestatione, h. e. contritionem caritate formatam; docet enim Concilium Tridentinum Sess. XIV. cp. 4. motum contritionis fuisse semper necessarium ad impetrandam veniam peccatorum. His favere videtur s. Thomas in art. 2. q. LXXXVI. et 5. praeced. q.^{is} Quidam volunt formalem detestationem requiri cum quis eliciens actum caritatis recordaretur peccati praeteriti: si vero memoria peccati non occurrit, aiunt sufficere actum caritatis, quem tamen appellant poenitentiam virtuaem. Scotus in IV. D. XIV. q. 1. Caietanus hic q. seq. a. 1. Soto de natura et Gratia L. II, c. 16. Simonnet De Poenit. D.V. a.2. s. Thomas a.1. q. seq. Suarez D.VIII. S.1.

Nota ex Caietano ibidem l. c. multipliciter dici posse poenitentiam virtuaem. Primo *in genere*, quando quis generaliter dolet se peccasse, non cogitando peccata in particulari. Secundo *in actu signato*, cum quis hunc actum habet: si peccati alicuius recordarer, detestarer illud, quo exprimitur poenitentia in actu. Tertio *in actu exercito*, cum quis diligentiam praeterea adhibet ut peccati alicuius recordetur, sed nullum invenit. Quarto *in causa*, cum nempe habetur dilectio Dei super omnia, qua existente, si memoria peccati adesset, illud homo detestaretur. Secundum hunc sensum modo loquimur.

Quidam volunt tunc solum requiri detestationem explicitam peccati, cum quis ex lege teneretur poenitere, puta si Sacramentum poenitentiae suscipere deberet: secus, quemadmodum etiam memoria occurrente peccatorum non tenetur homo semper ea detestari, ita potest omittere detestationem explicitam eorum, cum actum elicit caritatis; qui si satis est ad iustificationem sine explicita detestatione peccatorum, cum menti non occurrunt, sufficet etiam quando occurrunt, et nulla lege obstringitur homo actum elicere detestationis. Concedunt tamen isti auctores casum esse moraliter impossibilem, ut quis actu diligat perfecto amore Deum, et simul advertens sua peccata, quorum nondum poenitentiam egit, ea non detestetur. De Valentia in hunc locum. Vega L. VI super Concilium Trident. c. 34.

IV. Sententia, quam defendimus, est haec; ita necessariam esse ad remissionem peccati poenitentiam, ut tamen actu obtineri possit remissio sola etiam existente poenitentia virtuali; actumque proinde caritatis iustificare, quatenus est etiam poenitentia virtualis.

Itaque poenitentiam virtuaem dicimus actum perfectae caritatis, et quidem duplici ratione, tum quia in actu exercito est exhibitio compensationis alicuius Deo pro offensa, licet non fiat ex hac inten-

tionē; tum quia eo ipso quod est amor Dei, est virtualiter odium et detestatio oppositi quod est peccatum.

Iam vero in hypothesi quod quis non recordetur sui peccati sufficere poenitentiam virtualem ita probamus. Unica ratio cur poenitentia virtualis non sufficeret, haec esset, quia detestatio peccati necessaria est necessitate medii; atqui haec ratio non probat: ergo. Etenim quod necessarium est necessitate medii adultis, potest illud haberi aut in re, aut in voto; sicut Sacramentum poenitentiae necessarium est necessitate medii, sufficit tamen eius votum, in contritione contentum, et quidem implicite, ut Theologi communiter concedunt, quemadmodum postea docebimus: si ergo et detestatio peccati possit in voto haberi habeaturque reapse implicite in poenitentia virtuali; non erit consequens hanc non sufficere, quia detestatio peccati est necessaria necessitate medii. Atqui manifestum est actum caritatis continere votum saltem implicite detestationis peccati, non secus ac contritio contineat votum baptismi et Sacramenti Poenitentiae in iis, qui horum institutionem ignorant. Quid enim est contritionem continere implicite votum e. g. baptismi? Scilicet contritum cum velit servare quidquid Deus iubet, et inter haec sit quoque baptismus, ad ipsum etiam illa sua voluntas extenditur, ut si nosset ipsum, explicite illud vellet. Pariter qui Deum diligit, cum odio habeat peccatum, velitque quod Deo placet, ipse a peccatis a se admissis refugit ita ut si ea cogitaret, actu detestaretur. Itaque ex hac parte non potest esse difficultas. Quod autem Deus acceptet poenitentiam virtualem pro formali, quando haec propter oblivionem peccatorum est et impossibilis, ex eo patet quod ex divina revelatione constat, ut suo loco probabimus, cum actu perfectae dilectionis coniunctam semper esse amicitiam Dei.

Porro ex data demonstratione liquet ratio etiam alterius partis. Sicut enim contritio non iustificat sine voto Sacramenti, ita et caritas non iustificat nisi quatenus poenitentiam virtualiter continet; ideoque peccati remissionem obtinet prout est etiam poenitentia virtualis.

Quare motus contritionis fuit semper necessarius tum necessitate praecepti, ut mox dicemus, tum necessitate medii, hoc tamen non impedit quominus in hypothesi quod impossibile sit ipsum habere, non sufficiat contritio in voto sive virtualis.

Quod ergo requiritur ut *actu* semper sit in adulto poenitente, est conversio hominis ad Deum, est actus amoris, si extra Sacramentum remissio peccatorum est obtinenda, cetera et in voto haberi possunt. Si vero per Sacramentum remissio sit obtinenda, detestatio aliqua formalis requiritur; quia Sacramenti pars vel dispo-

sitio essentialis est contritio: qua de re, cum de actibus poenitentis in parte sequente agemus.

Igitur poenitentia est quidem necessaria necessitate medii, sed vel in re, vel in voto: unde si in voto tantum eam habuisti, obligatio manet habendi eam in re, sicut manet obligatio se subiiciendi clavibus, quod sine dolore et detestatione peccati fieri nequit. Quae quidem obligatio etiam ante institutionem Sacramenti manebat in iustificatis ex sola caritate; quia poenitentia per se exigitur, ideoque saltem in voto debet esse: atqui haec est conditio eorum quae saltem in voto sunt necessaria, ut obligatio maneat ea ponendi, cum fieri potest.

In hypothesi vero quod qui actum eliciens dilectionis recorderetur peccati mortalis admissi, quoniam non censemus tunc moraliter fieri posse ut ablineat homo a detestatione eiusdem peccati, h. e. ut non fiat explicite quod implicite solo actu caritatis continetur; tunc enim existit plena determinatio ad hunc explicitum actum, cum plenissima inclinatione voluntatis: non arbitramur opus esse ut in hac speciali quaestione immoremur.

V. Quaeritur tandem utrum poenitentia eaque formalis sit necessaria necessitate divini praecepti, ita ut ea omissa non tantum non acquiratur remissio, sed praeterea peccetur propter transgressionem praecepti; quod tamen, ut eius natura fert, non liget ignorantes aut inadvertentes. Victoria in Tractatu de septem Sacramentis, q. 121. negat esse ullum speciale praeceptum contritionis. Ratio est 1) quia si praeceptum foret, illud esset praecipue in iis verbis: si poenitentiam non egeritis etc. at iis necessitas medii significatur, quae non est semper coniuncta cum praecepto. Et sane 2) nullum est praeceptum de gratia habenda, et conservanda: ergo nec de contritione. Praeterea 3) si praeceptum esset poenitendi, impenitentia esset speciale peccatum, quod negat s. Thomas loco superius citato.

Sententiam communem affirmantem demonstramus cum Francisco Toletio in hanc q. s. Thomae. Argumenta eius huc redeunt 1) in Scripturis per verba imperativa poenitentia praecipitur Matth. IV, 17. Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum Act. II, 38. Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.

2) Quando aliquid est necessarium non solum existenti in peccato, sed etiam existenti in gratia, evidenter sequitur illud esse in praecepto, atqui talis est poenitentia: ergo. Prob. maior; quia si aliquid est necessarium existenti in gratia ad salutem aeternam, ergo sine illo non salvabitur: ergo necesse est ut peccet omittendo illud, secus non privabitur gratia; erit ergo illud in praecepto; se-

cus non peccaret ipsum omittendo. Prob. minor. Qui per Sacramentum obtinuit remissionem peccatorum et iustus est, si tamen alicuius peccati oblitus est et postea recordatur, tenetur illud directe subiicere clavibus per confessionem, ideoque et de illo conteri, confessio enim sacramentalis est confessio dolorosa. Ergo etiam existenti in gratia necessaria est contritio.

3) Quamvis non omne necessarium ad salutem sit in praecepto, ut gratia Dei, tamen omnis actus virtutis necessarius ad salutem cadit sub praecepto; neque enim potiore argumento probant Theologi actum virtutis esse praeceptum, nisi quia est necessarius ad salutem; atqui talis est actus poenitentiae: ergo.

4) Est speciale praeceptum de reparanda iniuria cuicumque illata: ergo multo magis de reparanda iniuria Deo illata; hoc autem fit per poenitentiam: ergo.

Patet poenitentiam, quae his argumentis demonstratur, esse poenitentiam formalem, sive ipsam explicitam detestationem peccati.

Itaque ad primum argumentum contrarium satis responsum est per primum, et per sequentia, quae probant praeceptum esse. Ad secundum dicendum quod licet directe non sit praeceptum de gratia habenda et conservanda, est tamen indirecte; quia directe est praeceptum de mediis.

Ad auctoritatem S. Thomae advertendum quod, cum hoc praeceptum sit affirmativum, non obligat omni tempore: ideoque cum non occurrit tempus praecepti, *non poenitere* est circumstantia actus, non novum peccatum. Ceterum ipse s. Doctor ponit praeceptum speciale poenitentiae: iam enim vidimus ipsum statuere poenitentiam virtutem specialem; quia datur de ea speciale praeceptum.

Cetera ad notionem virtutis poenitentiae spectantia dabuntur, cum de actibus poenitentis in Sacramento agendum erit: hactenus enim tradita pro quadam introductione satis esse queunt.

PARS II.

DE POENITENTIA SACRAMENTO

CAPUT I.

DE POTESTATE A CHRISTO FACTA REMITTENDI

FIDELIBUS PECCATA.

THESIS VIII.

Analysi instituta verborum Christi Matth. XVI, 19; XVIII, 18; Ioan. XX, 23, adhibita quoque interpretatione Patrum, constat Christo auctore Ecclesiae factam esse perpetuam potestatem remittendi fidelibus quaelibet peccata.

I. Haec sunt verba Matth. XVI, 19. Quodcumque (Petre) ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis. Ibid. c. XVIII. 18. Amen dico vobis (Apostoli), quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.

Phrasis huiusmodi complexa: *quaecumque ligaveris, quaecumque solveris*, non occurrit nisi bis in universa Scriptura, h. e. in locis citatis. *Ligatio* et *solutio*, de qua sermo est in iis verbis Christi, spectat certe ad ordinem moralem proprium entis liberi. Triplex autem est vinculum quo ens liberum ligari et a quo solvi moraliter potest, *vinculum legis, vinculum culpae, vinculum poenae*. Et quidem vinculo legis et poenae ligari potest directe ab alio; vinculo vero culpae ipsum se solum directe obstringere potest; indirecte et ab alio potest ligari quatenus ei solutio vinculi negetur. Unde et quoad triplex vinculum potest ab alio solvi. Potestas igitur ligandi et solvendi est potestas vinculum morale imponendi aut relaxandi. Quanta sit vis horum verborum Christi explicavimus in Tractatu de Rom. Pontifice: quocirca modo satis erit conclusionem referre. Scilicet potestas collata Petro ligandi et solvendi est potestas plena et universalis quoad omnes personas et quoad omnia negotia seu cau-